

Dissertatio medica inauguralis, de digitale ; ejusque in quibusdam morbis usu : quam, annuente summo numine, ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : necnon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Jacobus Alleyne Hendy, Barbadosensis, Societ. Reg. Med. Edin. Socius.

Contributors

Hendy, James Alleyne.
Baird, George Husband, 1761-1840.
University of Edinburgh.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Edinburgh : Cum Privilegio, Apud Robertum Allan, 1802.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mprpaqk5>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DIGITALE;
EJUSQUE IN QUIBUSDAM MORBIS USU:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS ALLEYNE HENDY,
BARBADENSIS.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS,

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

" ——— *Non natus idoneus armis*

" *Hanc me militiam, fata subire volunt.*"

AUR. PROPERTII CARMINA.

" ——— *Di captis;*

" *Aspirate meis* — "

OVIDII MET.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO,
APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCCC,II.

REPORT
ON THE
PROGRESS OF THE
WORK DURING THE
YEAR 1881

THE
REPORT OF THE
COMMISSIONERS OF THE
LAND OFFICE

IN
RESPONSE TO A
RESOLUTION OF THE
HOUSE OF COMMONS
PASSED IN 1879

AND
OF THE
COMMISSIONERS OF THE
LAND OFFICE
IN 1881

BY
THE
COMMISSIONERS OF THE
LAND OFFICE

LONDON:
PRINTED BY
HODGKINS & SONS,
STATIONERS' HALL, LONDON.

1882

THE
REPORT OF THE
COMMISSIONERS OF THE
LAND OFFICE
IN 1881

VIRIS SPECTATISSIMIS,
GUALTERO FARQUHAR, BARONETTO,
WALLIÆ REGULI MEDICO,
QUO
DUCE ET AUSPICE,
MEDICINÆ
RUDIMENTA ET PRINCIPIA
EDIDICIT;

NECNON,
ROBERTO LOVELL, M. D.
APUD BRISTOLIENSES,
ARTEM, PROSPERE ET MERITO
FACIENTI,
HAS STUDIORUM PRIMITIAS,
ANIMI,
OB BENEFICIA PERSÆPE ITERATA,
QUIBUS EUM ONERARUNT ET ONERANT,
GRATI,
PERTENUE AT SINCERUM PIGNUS,
D. D. CQ
DEVINCTISSIMUS
JACOBUS ALLEYNE HENDY.

JACOBUS ALLEYNE HENDY,
PRÆSIDIO DULCIQUE DECORI SUO,
VALENTINO JONES,
DE DIVERSORIO, BAIL-BROOK, DICTO,
BATHONIÆ VICINIA,
ARMIGERO,
S. P. D.

Quoad enim longissim' spatium praeteriti temporis,
Vir Amicissime, mens mea potest respicere, inde us-
que repetens, Te mihi meique, omni amoris officio
devinctissimum fuisse, video.

Firmissimam enim, cum Patre meo, amicitiam con-
traxisti, et religiosâ quâdam necessitudine adeo imbu-
tam, ut, amoris vestri iter, nihil unquam, nisi mors
illius præpropera, interrupit.

Ex illo autem die, qui mihi, semper acerbus, sem-
per honoratus est habendus; nimirum, quo, PATER
OPTIMUS, e vivis excessit, Te consilii auctorem, Te
adjutorem, Te solitudinum socium, omnique in cogi-
tatione conjunctissimum, sui habuerunt. Quod autem
ad

ad me attinet, nihil quod in tuâ benevolentia positum erat, ipse unquam desideravi.

Quae cum ita sint, ea omnia, quae a me proficiſcuntur, manca atque imperfecta videantur neceſſe eſt, niſi ad Te, quaſi quoddam Adminiculum et Perſugium certiffimum anniterentur.

Hæc igitur, qualiacunque ſint, grati animi teſtimonium, et quaſi in te mei amoris teſſeram, in Patrocinium tuum, comiter benigneque velim, Vir Cariffime, accipias.

“ I, bone, quo Virtus tua te vocat ; i pede fauſto,

“ Grandia laturus meritorum præmia. — ”

“ Some trace, with curious search, the hidden cause
“ Of Nature’s changes, and her various laws ;
“ Untwist her beauteous web, disrobe her charms,
“ And hunt her to her elemental forms ;
“ *Or prove what hidden pow’rs in herbs are found,*
“ *To quench disease, and cool the burning wound ;*
“ With cordial drops the fainting head sustain,
“ Call back the flitting soul, and still the throbs of pain,

AIKIN’S POEMS,

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIGITALE,

EJUSQUE IN QUIBUSDAM MORBIS USU.

JACOBO ALLEYNE HENDY AUCTORE.

DE re, inter medicos fanè eruditissimos, magnique quidèm nominis, tàm nuperrimè, quàm pro virili parte agitatâ, ex Tyrone, inauditas aut novas oriri theorias, vix expectari potest.

Modò opiniones benè confirmatas vel æquâ ratiocinatione sustentas, colligere me penes sit, fungar forsitàn officio, nec quòd ampliùs exigatur, erit.

Ut ratione et viâ hæc procedat differtatio academica, argumentum in tres sectiones dividemus nostrum.

In primâ, breviusculam Digitalis historiam botanicam referemus, et hîc loci, etiam de usu ejus apud majores quædam commemorare, nobis visum est.

In secundâ, de exhibitione ejus magis generali hodie apud nostrates, ad quorundam morborum curationem, (præcipue ad Phthisin Pulmonalem et ad Hydropûm varietates) verba faciemus : in hâc quoque divisione, opiniones etiam memoratu dignissimas exponemus.

Tertiâ, nostras subjicientes observationes, ad finem festinabimus.

SECT.

S E C T. I.

CAP. I.

HISTORIA BOTANICA.

VARIETATES præbet Digitalis duas :

Digitalis purpurea, folio aspero ;

Digitalis alba, folio quoque aspero.

In Britanniâ innotescit Digitalis purpurea et unâ tantum specie guadet.

In cæteris Europæ regionibus florent plurimæ, et in Germaniâ, planta Anglicana solummodo in hortis reperienda est *.

Collocatur LINNÆO, ad classem *Dydynamia*, ord. *Angiospermia*.

Essen. generis charact.—Calyx quinque partitus, corolla campanulata, quinque-fida, ventricosa, capsula, ovata. bilocularis.

Digitalis purpurea.—Foliolis, calycinis, ovatis, acutis, corollis obtusis, labio superiore integro †.

A 2

Partium

* WOODVILLE's Med. Botany.

† WOODVILLE's Med. Bot. Vol. III.

SMITH's Flora Britannica.

Partium quarundam Descriptio.

Radix, ramosa et fibrosa,

Caulis, erectus, attenuatus, et tomentosus; altusque, quatuor circiter pedes.

Folia supra glabra, crenata, et perviridia; subtus præcipue pubescentia, subdecurrentia, ovata in medioque ferrata.

Flores numerosi, spicis terminalibus, unoque tantum latere in plerumque coalescentes, nutantes et quàm maximè campanulati, purpurei, intus albidì varièque distincti.

Capsula bilocularis, et semina, numerosa et parva, continet.

Habitat in locis umbrosis et saxosis, solo vel glareoso, vel arenoso, arido; sepes inter et vias angustias floret.

Biennis est; mensibus Junii et Julii germinans, tunc temporis adolescit.

In congeneras habet Nicotianam, Hyoscyamum *, &c.

CAP.

CAP. II.

HISTORIA MEDICA:

JAM enumeranda sunt breviter et accuratè quantum inter se conciliari possunt, ea quæ sub historia medicâ comprehendi nobis videntur, et antequam Digitalis usus apud hodiernos investigetur, memorare non alienum erit, vires hujusce plantæ potentes, patribus innotuisse, et minime illis, fusque deque habitos fuisse.

FUSCHIUS nomen ei imposuit, et primus ille auctor est, qui de ea verba facit *.

De viribus ejus narcoticis loquuntur DODONÆUS et RAY. Emeticam cartharticamque et signis maxime virulentibus, hanc illamve promovere evacuationem, ex observatis invenit HALLER.

Quantum ad tumores scrophulosos et ad ulcera vetera sananda valeat internè et externè adhibita

Digitalis,

* Hist. Stirp. anno 1542.

WITHERING'S Essay on the Medical Uses of *Digitalis*.

Digitalis, scriptores nonnulli memoriæ prodiderunt ; et huic in epilepsiâ vires inesse maximas palam profitetur PARKINSONIUS, et eundem affirmasse in Phthisi Pulmonali quàm maximè utilitati esse Digitalem, WITHERINGIUS nobis auctor est, quibusdam ex operibus ejus citatis.

Etiamfi vero tam utilem in medicina se præbuisse Digitalem fertur, raro tamen remedium hocce porrectum fuisse constat, et quamvis magnopere evaluit, ut verbis PARKINSONIANIS utar, “ in
“ rariefying or extenuating tough flegme or viscid
“ humour troubling the chest,” tamen cùm indole tam virulentâ esse inveniebatur, non mirum judicetur, “ That few physicians put it to those
“ uses *.”

Quæ autem dosis justâ erat, qui rectus preparandi modus, pro certò est, nesciisse priores.

Quantùm etiam ad pulsûs velocitatem tardandam sine vitæ periculo, conferat, hos pariter latuit : *hec*, autem posse Digitalem, sine ullo superveniente

* PARKINSON'S Journal.

veniente incommodo, modò rectè et cautè administratur, hodierni tandem perspexerunt medici.

Stirpis hujusce facultates, hominibus fors quædam monstrâsse primùm videtur : nam ut a DODONÆO accepimus, nonnulli *Ormaladâ* cui inerat Digitalis comestâ, evomere et ægrescere cæperunt, et periebant Galli quidam Numidici hâc pro *verbasco* acceptâ, depastâque.

Emeticam hinc, catharticamque, et viribus quâm maximè deleteriis pollere hanc olim creditam fuisse constat. Quamvis autem de Digitale talis opinio tunc temporis invaluit, si tamen in animo incautam hujus exhibitionem perpendimus, potestates perscrutatas, penitus et prioribus satis intellectas non fuisse, haud immeritò affirmetur ; inter hos enim omnino tandem defuevit Digitalis, quia, scilicèt, temerè et incautè ab illis fuerat administrata.

Poetæ enim optimi et censoris unci, verissimum profectò illud est judicium,

“ Multa renascuntur, quæ jam cecidere ; cadentque,
“ Quæ nunc sunt in honore.”

S E C T. II.

CAP. III.

In Medicinâ Hodiernâ, de Digitalis usu.

FAMÆ vicissitudines varias in melius pejufve provenientes, quas a primâ cognitione usque ad præsens tempus sustinuit Digitalis, non est ut longiùs commemoremus : minutiis enim talibus immorari, operæ non ut videtur, pretium erit.

In *materiâ quidem medicâ*, aliquandiù locum sibi præcipuum vindicavit, honores autem quibus primum floruit, temporis progressu periere.

En ! quæ ad mutationem talem præcipue contulisse videntur : quia nimirum minimè legentibus curæ erat, quâ anni tempestate ad herbam excerpendam se accingerent ; quia malè erat præparata, aut aliis immixta stirpibus, adde etiam quod maximi momenti erat, quia non satis perspexerunt *singularem*

gularum uniuscujusque ægri conditionem, cui administrata erat Digitalis.

Diureticam esse hanc plantam primum sensit WITHERINGIUS, et hoc perspecto, viribus quàm maximè antihydricis, eam pollere, medicinam facientibus annuntiavit.

A. D. 1785, *annorum* experientiâ novem edoctus, vir iste clarissimus historias nonnullas ad hydropem spectantes, quàm accuratissimè enarratas, in lucem protulit: hinc, Digitalis potestates varias, exploratas penitus et summâ fide esse expositas, fateamur necesse est.

Naturam causasque hydropum non pauci neque profectò parvi nominis auctores diligentèr investigarunt; hi diversas etiam diversis temporibus indicationes curatorias retulere; in his etiam multi sunt: omnes qui in systematibus variis de medicinâ practicâ verba fecerunt; neque profectò, in re ullâ aliâ, magis ingenium exercuerunt medici.

Quoties verò, ad aquæ accumulatae evacuationem expediendam, quod *medendi consilium esse maximum* voce unâ omnes consenserunt ; sese imparem *confessa est*, et muffavit, “*tacito medicina timore;*” —ad hocce enim promovendum, diaphoreticorum, cathartorum et similium vim ingentem, in auxilium nequicquam invocavit. Quamvis enim remedia hæc, fortassis aliquando feliciter exhibeantur, *debilitas* vero ista, quæ horum operationem subsequitur, in causâ est, cur iterum accumuletur aqua ; quæ cum ita sint, ut tali exhibitione in perpetuum curetur morbus, minimè sperandum est.

Ad hoc igitur efficiendum, remediis aliis, diuretica esse præferenda jure affirmetur, cùm evacuationibus ex horum usu provenientibus non pariter comitem sese *Debilitas* adjungit.

Cùm autem effectus admodum sunt incerti, inter potentissima summâ diligentia ea sunt indaganda, quibus ad finem votis petitum certissimè perducamur.

His igitur in animo versatis Digitali ab *empiris* occupatæ, modo incredibili hanc inesse potestatem sensit WITHERINGIUS. In hoc illustrissimo viro, benevolentia animi singularis, summo ingenii acumine conjuncta, intuit; ad communem hinc utilitatem aliquid afferendi studio impulsus, ad plantæ vires investigandas se convertit, et quæ colligerat publici juris fecit. Minimè vero illi vitio vertatur quod Histriionum manibus ereptam, ad usum medicinæ castæ et sinceræ Digitalem consecravit.

“ Fas est, et ab hoste doceri.”

CAP IV.

DE viribus herbarum medicis, ab odore et sapore ferè judicatum est. His vero consideratis, non est unde Digitalis deprehendantur potestates; hujus enim sapore leviter acerbo, minimè vires quibus pollet, si internè exhibeatur, indicantur.

Cum in arte medicâ, multùm inclaruit WITHERINGIUS, ad Digitalem porrigendam plurima illi sese obtulit occasio ; plus enim, centum historias hydropicas protulit, quibus, se præsentè, administrata erat. Medicorum etiam nonnullorum nec ignobilium, communicatas de hâc re observationes, operi subjecit.

Marte quidem proprio, ad plantæ hujus contemplationem medicinæ peritos WITHERINGII nomen excitâffet ; aliis autem in auxilium insupèr vocatis, nil mirùm ad vires Digitalis experiendas, summo studio sese omnes convertisse.

Forum historias, qui se monente, Digitale sunt usi, in opere exposuit ; plurimos autem iâ morbo correptos fuisse, ut de illis conclamatum foret, nos certiores fecit : etiam, ita demum ad Digitalis usum se confugisse, cum medicamenta maximè probata nil evaluisse, compertum erat.

Quæ cùm ita sint, ægrotos, qui convaluere, mortis faucibus ereptos fuisse, et Digitali vitam debuisse, haud injuriâ affirmat.

Ad

Ad calcem operis, præcepta quædam generalia subjecit auctor ; cùm ad usus medicinales *folia* commodissimè sibi inservire viderentur, nonnullas hæc vel liquidè vel solidè præparandi formulas, proposuit.

E vomitu vero, aut nausea, minimè Digitalis vires diureticas originem deducere, (ut in *SCILLA* videre liceat) a viro cl. certiores facti sumus ; aliquandò enim, hæc primum apparuerunt, est enim, *ubi cessarunt*, cum aut *nausæa affectus* erat *stomachus*, aut *catharsis accesserat*, et postquàm edocuit experientia, ut *nullo effectu præeunte*, pulsus celeritas retardari potest.

De corporum proprietatibus verba faciens, illis Digitalem profituram censet, “ *who have a feeble*
“ *intermitting pulse, where the countenance is pale,*
“ *the lips livid, skin cold,*” rarissime autem auspiciatò processuram, “ *In men of great natural*
“ *strength, of tense fibre, warm skin, and florid*
“ *complexion, or in those with a tight cordy pulse.*”

Horum varietatem fortassè confirmavit experientia, cùm autem in *Hæmoptysi* Digitalem remedi-

um esse salutare, nonnulli affirmant et in *maniâ pro diuretico*, ipso WITHERINGIO commendata est (credente nimirum a feri effusione hunc morbum plerumque oriri) nobis inquam; cum prioribus, hæcce comparantibus, sententias sibimet ipsis invicem adversas, proponi videtur.

Nonne enim in hydropè morbisque paulo suprâ memoratis toto cœlo pulsûs natura distet? *Nonne vires summæ, oris color floridus, pulsus validus et durus, cæteræque contra-indicationes WITHERINGIO depositæ maniacos plerumque comitentur?*

Prætereà ad Phthisin Pulmonalem sæpiùs Digitalem præscripserat, hîc autem in plerumque quantâ de spe decidit, fati liquet: ab eo, nihil aliud quærebat, nisi ut novum largiret diureticum, eousque rem bene gessit, an cæteris certius præcognitis in lucem protulit, nihil dùm audivimus.

Vires ejus absorbentes, unicamque suam in cordis motus potestatem, DARWINIUS, nec non EQUES BAKERIUS, animis perpendentes, sanitatem
Phthificis

Phthificis Digitalem promittere primò percepisse videntur *.

Ex illo tamen die, de Digitale parùm quod dicerent habuerunt medici, donec ineunte anno 1799, DRAKEIUS et FOWLERUS (Doct̃oris BEDDOES ratione †) salutis publicæ studiosissimi effectus hujusce herbæ in Phthisin quos experiendo didicerant, typis ederunt.

CAP. V.

DRAKEIUS quandam de febris hecticæ origine theoriam ingressus (ut solummodo ex absorptione puris aëri expositi proficisceretur) propositumque pro certò admissum, duas sibi indicationes curatorias proposuit.—*1mo*, Ut vel absorberetur pus, antequam aëri exponi possit ; vel, *2do*, Ut adeò retardetur

* Lond. Med. Comment.

† BEDDOE'S West Country Contributions.

tardetur sanguinis cursus, ita ut omnino impeditur secretio purulenta.

Hoc quidem argumentum, certo loco constituere non nobis est, cum autem historiae ad phthisin pulmonalem pertinentes, maximi sunt momenti, non est, ut omnino eas silentio prætereamus. Harum enim ad calcem duas subjecit.

In utrâque exhibitæ Digitali felix processit exitus, perque has, quod pulsus frequentiam adeo efficere possit, ut ad *quadraginta ictuum* in horæ minuto reduceretur, et sine ullâ ventriculi affectione præeunte, certâ probatione traditur.

DRAKEIUS etiam affirmat, quod talem tarditatem per hebdomedas plurimas protrahendi potestas datur, idque in corporis conditionibus maximè enervatis, diuque satis ut sanetur æger.

Ex FOWLERO sequuntur, in eodem quoque libro, deque re eadem, quædam observationes notatione quidem dignissimæ. Remediis usitatissimis ad phthisin pulmonalem ordinatis, bono plerumque exitu carentibus, et WITHERINGII, Doctorumque FERRIAR, et DARWIN, laudibus commendatitiis, jam-

jamjam de Digitale vulgatis, invitatus, hunc morbum gravissimum *herba nostra* propulsare perducebatur.

Ex imperio ejus mirabili, in cor, arteriasque, etiamque in absorbentia, *modo tamen dissimili*; dum enim *horum vires* reficit, *illorum actionem temperat cohibetque*, ex Digitalis usu in phthisi pulmonali optime speravit, et talibus utatur verbis, eruditissimus ille—" Having given it myself, and seen
" it given by others in dropfical cases, without
" any of those uncontrollable effects, which have
" been recorded, I was by no means dissuaded
" from its use in phthisis, as its power of *representing arterial contraction and inducing debility*,
" from which we have most to apprehend in
" dropfy, was the *very quality*, from which properly directed, I hoped to derive most advantage here *."

Historiæ ægrotorum plurimæ subnectuntur, quibus Digitale usus est. Ex his, sub administratione ejus, undecimi omninò quasi revixerunt,

C

succur-

* West Country Contributions.

fuccurrebantur quinque, et unus tantum morte corripiebatur; iste tamen revera, ebrietate suâ omnino cecidit.

DR BEDDOES, cujus sub auspiciis, editus erat, libellus iste, quo prodierunt opuscula suprâ commemorata, quædam, quæ experientiâ didicerat, adjecit.

Aliorum experimentis, sua autem maximè discrepabant; de sanandis tamen iis, quibus Digitalem administravit, spes nullas relictas fuisse, confitetur; *peculiares etiam corporis proprietates*, in causâ fuisse existimat, cur illi quam DRAKEIO et FOWLERO res aliter ceciderat, inter *illos* enim, qui in *valetudinario publico* occumbere soliti sunt, et *eos*, qui *more vivendi* delicatiore sunt usi, constitutionis discrimen maximum inesse observat—"With
" the one (*the delicately educated*)" inquit BEDDOES, "the stomach or the heart may be affected, and yet the lymphatics of the lungs shall
" continue inert"—et in ægrotorum nonnullos quibus consulit, hujus intuitu veritas *.

Cùm

* Vid. West Country Contributions.

Cùm autem, nè *unum* quidem a morte se remedio eripuisse *hic* confitetur, et in *Tractatu de Phthisi Pulmonali*; quem *paucis* interpositis mensibus typis vulgavit, *tantis* Digitalem laudibus profectus est *, haud injurâ inferatur, aut medicum, *vaccasque suas ἀποδιδαιτες* istos (*the delicately educated*) simul deseruisse, aut opiniones temerarias virum cel. in medium projecisse; unum alterumve accedisse, *pro certo est*. Potuitne enim intervallum istud temporis exiguum sibi copiam dedisse *asserendi*, (nam etsi “*sperare*” dixit, è contextu tamen se nihil dubitasse liquet), corticem non certius febrem intermittentem curaturum, quam Digitalem phthisin pulmonalem?

Ad plerosque enim sanandos qui phthisi laborant, remedium hocce, *nullo alio adhibito*, valere opinatur; se etiam vereri dicit, ne *parum sibi constare videretur*, de virtutibus Digitalis verbis tam disertis diserenti, cum ad morbum præcavendum regimen, strenuissime commendaverat.

* Essay on Pulmon. Consumption.

CAP. VI.

ORDINE recto, proximus incedit *FERRIARIS* libellus ; cùm rem de quâ agitur, quàm latissimè conspexit, et animo æquissimo, nec præjudicato, investigavit, et ipse auctor, vir est spectatissimus, observationes suas nisi animo attento prosequi non possumus : remedium hoc minime negligendum judicat.

A. D. 1792, in hæmorrhagiâ activâ et phthisi incipiente, *Digitale* usus est. Conspectum comparativum tunc temporis diureticorum quorundam præbuit, quæ ad hydropes curandas administrantur.

Animadversiones hujusmodi ingeniosas aliò commemorare licebit, hîc autem loci, tractatus iste, qui anno 1799 prodiit, nobis est notandus *.

Digi-

* Essay on the Medical Uses of the Fox Glove.

Digitale in phthisi usus est ; “ observing”
 (nam quod ipse voluit, in verbis propriis optimè
 forsàn spectabitur) “ that its effects in retarding
 “ the velocity of the pulse, “ *as a direct sedative,*”
 “ was too strong to be overlooked, and that when
 “ its application to diminish morbid irritation was
 “ once pointed out, the consequences of the idea
 “ were easily comprehended.”

Complures qui hæmorrhagiâ laborabant, ab
 actione arteriarum nimis adauctâ, originem du-
 cente, exitu sanè felicissimo Digitalem, se jubente,
 sumpserunt.

In *Epistavi largâ*, in *Hysteria*, a debilitate et in
 irritatione ab ægritudine priori exortâ, medica-
 mentum hocce maximè salutiferum esse, ex obser-
 vato invenit, suggeritque etiam ut sæpissimè, quum
 sanguinis detractio primò jure admitti potest,
 hujus tamen repetitio frequentior, Digitale adhi-
 bitâ, præveniatur, quippe pulsum ad libitum re-
 gendi potestatem tradit ; “ and however incon-
 “ sistent and irreconcilable with our notions of
 “ therapeutics,” ut dicit FERRIAR, “ the dou-
 “ ble

“ ble action of the Digitalis may be, (lessening
 “ arterial contraction, and at the same time often
 “ encreasing the secretion of the kidneys) yet it
 “ is extremely useful in practice, as affording in
 “ hæmorrhagies a mode of natural evacuation
 “ sufficient to remove plethora without inducing
 “ direct debility, and attended with the singular
 “ advantage of preserving its powers under re-
 “ petition.”

In *Phthisi* cum *Scrofula* conjunctâ, nec non ab
Hæmoptysi priore originem sumente, Digitale po-
 tissimum usus est ; plurima in medium protulit ex-
 empla, quibus etsi symptomata maximè formidan-
 da instabant, egregiè tamen hæc medicina profuit.
 Collatæ autem aliæ sunt, ubi effectu ullo bono
omnino caruit, *etiam*, cum omnia ad vires juvandas,
 finemque felicissimum promovendum una conspi-
 rare videbantur ; nempè, ubi locum præcipuum
irritabilitas tenuit, tussisque *sine expectoratione ulla*,
nisi minima, aderat.

Ægroti etiam historiam vulgavit, qui pulsu ab
 iectibus

istibus 120 ad 70 reducto, morbo tamen succubuit.

In *Asthmate Spasmodico*, feliciter Digitalem exhibuit, cujus historia illa insignis, viro cl. memorata, haud leve testimonium præbet.

Credito affectiones pulmonum chronicas, in thoracem effusione non rarò esse comitatas, in *tussibus diuturnis* remedium hoc administratum profuit. Ab actione autem ejus sedante utilitatis non nihil debere censit FERRIARUS, finem scil. imponente, consuetudini istæ pravæ *nimum muci* secernendi, [quam a morbis inflammatoriis, aut a tussis irritatione asperæ et continuæ, pulmones contraxerant.

Discimus etiam in Tractatu, de quo nunc verba facimus, *cordis palpitaciones* terrore aut intemperantiâ originem ducentes, hoc medicamento amotas fuisse, nec non etiam in tempus quadammodo levatas, cum a *cordis ipsius læsione* proveniebant.

Iterum ad remedii hujusce in *variis hydropum generibus* administrationem, redit auctor. In his

non

non vetat Digitalem experiri; vires autem *diureticas* minimè certas esse credit, et opiniones easdem, quas * aliò memoravit, in plerumque retinet.

Digitalem, (calomelane et pulvere doveri commixtam) ad diuresin promovendam pollere censet: hanc formulâ adhibitâ, mirè efficacem esse vidit.

Cùm sedandi potestas dos sua est præcipua, in *inflammationibus* imperium latius exercere Digitalem invenit: in *pleuritide* præsertim et *peripneumonia*, cùm tanta fuit sanguinis detractio, quanta sine vitæ periculo adhiberi potuit; viam etiam multò præstantiorem, *Pulsus reducendi* præbere testatur, omnibus aliis hætenus usurpatis; nauseam nempè producendi, sive impetum sanguinis *subito* cohibendi.

In *Hydrocephalo* forsitàn prodesse existimat, absorptionem simul provehendo, et irritationem, febremque minuendo; quæ cum ita sint, in *inflammationem*

* Vid. Med. Hist. and Reflections:

matione activa adhiberi jubet, quamvis exudatio inflammatoria præcefferit; quòd in *Pneumonia* utilem hæc se præbeat, admonuit medicina; opinio autem hæc merè speculativa, non experientiæ auctoritate confirmata; in *Cynanche Tracheali*, *Cynanche Maligna*, nec non in *Gangræna opio* conjunctam ad irritabilitatem nimiam levandam fore beneficio Digitalem observat, suggeritque etiam in *Gonorrhœa virulenta*, cùm nimium irritaret opium, posse hanc pro injectione occupari, nec non, *ad carcinoma*, et *ad scirrhum*, pro lotionem.

Si quis etiam herbæ hujusce in *suppuratione interna* perscrutaretur potestates, operæ pretium fore facturum censet: cum nauseam, se judice, excitandi facultate valet, ad absorptionem *fluidi effusi* promovendam vires hinc forsan datæ sint; in *Eruptionibus Herpeticis*, tumoribus *ulceribusque veteribus*, lotionem præbere gratam, viro celeberrimo, fumus certiores facti.

Re de quâ agitur, quàm latissimè summisque ingenii viribus investigatâ, ea demum quæ a

præteritis ritè erant colligenda, finem operi impositurus, auctor subjecit.

Essentialem, et quasi propriam Digitalis Potestatem, *in sanguinis circuitus celeritate tardandâ* constare arbitratur, viresque *diureticas minimè sedantibus pendere*, etsi unâ extare, evacuationesque promovere, interdum inveniantur.

Quod *ad spes* de Digitalis successu jure suscipiendas attinet, se nimis altas fovere, *exitum infelicem sæpius repetitum* vetuisse monet. Incipiente Phthisi, posse Pulmonum actionem morbosam, unde exoriuntur tuberculæ, in tempus cohibere credit, interdum etiam, morbo longius progresso, Pulmonum ulcerationibus remedio fore, cum irritationem sedandi pollet facultate, sperat. "At present, however," vir *acutissimus* adjecit, "I dare not suppose that many cases of *confirmed consumption* will be cured by it."

Quædam a *Percivallo et Simmons* communicata, ad calcem operis adjecta sunt. Ægroti historiam PERCIVALLUS vulgavit, ubi ne minimum

mum quidè, Digitalis adhibita evaluit. Phthisi tuberculis in pulmonibus primordium fumente, ille æger laborare creditus erat. Expectoratio purulenta, sed levissima, comes aderat. Reductus erat pulsus ab 120, ad 56, 60, sine nausea aut vertigine, tussis violentiâ parùm mitigatâ; his igitur existentibus, Digitalem non amplius PERCIVALLUS præscripsit.

Fœminam, bene natam, Asthmate laborantem hâc medicinâ, se jubente, usam fuisse admonuit; hîc, vis Digitalis clare salutaris enituit.

“ The pills,” inquit PERCIVALLUS, “ are become necessary to her; for if they be omitted two nights together, the cough never fails to recur with violence *.”

De Abscessu Lumbali, historia notari dignissima prolata est. Puris detractio sæpissimè erat adhibita, cùm autem rursus succrevit, emaciatione et febre hecticâ insuper accedentibus, non

D 2

posse

* Ferriar's "Essay," (Appendix.)

posse sine periculo scalpello amplius uti, et Digitalem experiri simul statutum erat; hujus assumptionem pulsus secuta est reductio; sublevata erat aliquatenus anorexia, placatusque ardor fitis molestus; *accedente autem vomitu*, cum ad hoc debellandum nil evaluit, *die quinto* fato succubuit ægrotus.

Post nausæ accessionem die secundo, minus intumuisse abscessum *Dom. Simmons* judicavit; *tertio* autem, tumorem evanuisse omnem, ipse æger affirmavit.

Cadavere inspecto, unde Digitalis vis virulenta foret patefacta, nil apparuit; nulla, nisi rubor leviter suffusus, mutatio morbosa, dissecto aderat thoraci, neque verò tantum erubuit, quantum post inflammationem acutam expectare fas est.

Eorum opiniones sub quorum auspiciis in medicina locum obtinuisse videtur Digitalis demum annotavimus: Qui enim in membranâ unâ alterâve de eâ verba fecerunt, adèò sunt multi; ut si *sigillatim* omnes attingere concilium foret,
ultrà

ultrà Dissertationis Inauguralis limites, longè, longèque progrediamur, neceffè est.

Si quid autem, de Digitale, viribusque suis medicinalibus, hic scriptor medicus in medium protulit, hoc pro vero minimè accipiendum esse, alter edocuit, et (ut unâ oratione omnia complectar) undique opiniones, varietatem miram, nec ullâ ratione reconciliandam cernere est: hæc lectorem admonuisse forsan sat erit.

En, quæ de Digitale protulit MACLEANIUS, DRAKEIO speculationibus fanè inimicissimus, medicinæ huic omninò favent. Per annos novem, ad hydropem curandam se remedio usum fuisse, refert. Plurimas ad phthisin spectantes, ubi Digitalem præscripserat historias, adumbravit. Ægrotis viginti eam administrâsse memorat *. Plantæ hujusce notitiam, quam sibi dedit experientia, valdè angustam esse censet, DRA-

KEIO

* Medical & Phisical Journal.

KEIO vitioque vertit, Digitalis vires laudesque ita strenuè et fidentèr prædicanti, *bis quoniam profuit* adhibita.

Remedium esse magnè estimandum in phthisi Digitalem, affirmat ; quamvis autem cæteris efficacior sit, hætenùs usurpatis, *morbi tamen curandi, primis etiam initiis*, haud omninò facultate valere arbitratur.

Cùm in tussi chronicâ, in dyspnæâ, nec non in strictura pectoris maximè urgente et sæpissimè Hydrothoracem comitante, interdumque post feri evacuationem immorante, multùm Digitalis valuit, hinc vires ejus, potestatemque in phthisi experiendi, primò consilium cepit.

In phthisis pulmonalis generibus variis, partim hereditariæ, et scrophulosæ, partimque catarrho neglecto, et Pneumoniâ provenientis, Digitalem exhibuit. In stadiis variis morbus erat, variâ igitur violentiâ bacchata est.

Benè de Digitalis usu in phthisi sperare jubet, ubi sine tuberculis morbi indicia occurrunt omnia, et in catarrhis etiam violentis, tussi assidua, febreque

febreque hectica comitatis, sine ullâ ad phthifim proclivitate, imperium remedium exercere testatur : sæpiùs ubi signa aderant atrociffima morbi violentiam Digitalem eviciffe refert ; è contrâ autem, interdum nihil profuiffe ubi mitiffima erat prognofis. In Affhmate, Dyfpnoeâ, cœterisque pulmonum morbis, pectorisque chronicis, nec non, in pertuffi, remedium experiri adhortatur.

Cujufdam Pleuritide graviffimâ laborantis hiftoriam vulgavit, ubi cùm fanguinis detractiione non erat uti, effectu quafi magico, munus adminiftravit Digitalis. Pulsus, qui debilis erat ex 112 ad 46. reductus erat, capite et ventriculo minimè affectis.

In Tuffi convulfivâ nec non in Epilepfia medicinam præceperat, illa quidèm fanata erat, et huic remedio, Digitalem effe futuram, omnia promittebant.

In fingulis DRAKEI opinionibus examinandis, refutandisque partem operis reliquam confumpfit : continua inter hos, altercatio dehinc fubfecuta eft ; certaminisque acerrimi fervore correp-

ti, Scientiam promovere utrique pariter obliti sunt.

Sæpiùs in iis quæ *postea* communicavit de Digitale, optimè locutus est DRAKEIUS, neque minùs quàm antea eam commendare videtur MACLEANIUS ; usque ad DRAKEI Tractatum * mense Novembris, A. D. 1800, publici juris factum, ægrotorum historiæ, sexdecim prolatae erant ; convalescerunt ex his novem, morti succubuerunt quinque, et qui restabant duo, spemque metumque inter, anxii pendebant ; bis etiam tusses, vomitumque propulsavit, quarum utrique aderat expectoratio purulenta, sed sine ulla ad phthisin predispotione.

Vomicæ etiam sævissimæ edidit historiam MACLEANIUS ubi puris foetidi et sanguine colorati, sextarium non modò feri in thoracem effusione, verum

* “ Med. Phys. Journal.”

verùm etiam anafarcâ et debilitate summâ præsentibus, quotidie expectoravit.

Ope tamen Digitalis, malis his licet gravissimis circumventa erat, sæpiùs convaluit.

Ad *Rubeolam* curandam cum signa maximè metuenda urgeant, ad phthisin scrofulamve adfit inclinatio, in dubioque est, an rectè detrahatur sanguis, hoc medicamentum *opio* anteponendum esse arbitratur.

Hæmorrhoidi violentæ, et internæ et externæ medebatur Digitale, cum plurimas per hebdomedas nulla alia remedia profecerant.

Eruptioni Herpeticæ vehementè inflammatæ, scabiosæ, ichorem tenuem emittentæ, pustulisque molestis sparsim suffusis, comitatæ, foliorum Digitalis nupèr decerptorum decoctum se antea applicuisse quàm FERRIARIS libellus prodiit, MACLEANIUS memorat.

Tineæ Capitis nil profuisse Digitalem; remedium verò *Psoræ* præsentissimum præbere a viro cl. insuper accipimus.

Cùm tractatus istos, brevissimos sanè novique nihil in se continentes, qui hic et illic sparsim prodierunt, silentio prætereundas esse prorsus judicavimus, tertium dehinc argumenti caput auspicamur.

SECT. III.

CAP. VII.

Observationes quædam generales.

Ea omnia licèt latissimè conspeximus quæ de Digitalis viribus in morbis curandis, ex observato alii protulerunt, cùm tamèn, his laude summâ oneratam, illis omni vituperatione dedecoratam medicinam cernimus, sententiam justam efformare penes nos non fuit; neque ab experientia propriâ, quæ fuit exigua de Digitale temerè judicare fas est.

Nobis tamen valetudinarium Edinense ventitantibus Digitalem variis hydropum generibus,
avibus

avibus nunc secundis, nunc finistris administra-
tam, testandi oblata est occasio.

Dum ægrotorum in nosocomio, valetudini
consulebat HOMEIUS, Professor noster cel. sæpiùs
Digitalis ægris subveniebat. Historiam Vetulæ
infra commemoravimus, ubi medicinæ hujus vires
mirè salutiferæ erant*.

CHRISTIAN M. KAY, ætate provecta, Dysp-
næâ urgente, tussique oppressa frequenti, intum-
escentibus abdomine cruribusque, die Martii
24. A. D. 1801, in Valetudinarium Edinbur-
genum recepta erat. *Hydrothorace* manifestò
laborabat, in cavitatem pericardii effusione insu-
per suspicatâ, signa omnia, aspectu sanè formi-
dolosissimo instabant: magnus ad sternum dolor
sentiebatur;—palpitationes violentæ aderant;
pulsusque tenuis, debilis, et irregularis, horæ
minuto, circiter ictuum 80 feriebat.

Præcepit HOMEIUS, ut sumat pilulam unam
Digitalis, c-grano uno Pulveris Foliorum ter in

E 2

die.

* Narrat. Clinicæ. Anno 1801.

die. Pulsus adhuc tenuis et irregularis et etiam *frequentior*, duplicatâ medicinæ dosi, dehinc inter iēt. 76. 80. fluctuabat; et urina, quæ antea fuerat exiguiſſima, ad lb. vi. per diem ſuccrevit; ex illo tempore ad 2_r gr. adaucta erat Digitalis doſis. *Huic ſtatim ſecuta eſt, Pulsus reductio*, nec tantum intermittebat; *Urina copioſior effluxit*, et omnia ſymptomata aliquantulum mitigata erant.

Die quinto, ſucceſſerunt *nausea, vomitusque, usque ad diem menſis trigessimam unam*, Digitalem ægrota ſumpſit. *Nausea, vomitusque, torpor, languorque univerſus, extremitatum frigiditas, pulsus ad iētus 32. depressio* ingruerunt. *Dyspnæa* autem mitigata erat, et *sedata tussis violentia*, neque tanta erat aut *vultus* aut *abdominis intumescentia*; adhuc permansit *diuresis*. Symptomata omnia minus urgebant; reſtabant adhuc *sedantes* medicinæ vires, dieque *Aprilis nono*, (poſt omiſſam Digitalem *decimo*), pulsus qui per id tempus magnopere fluctuaverat, iētus 32. h. m. iterum micabat; languebat, œgreſcebatque

ægrescebatque penè exhausta Mulier, quamvis ad vires vitæ sustinendas, stimulantia ritè erant adhibita ; paucis tamen interjectis diebus, debilitas omninò evanuit, et è valetudinario *sanata* prodiit.

Si de Digitale loqui Historiâ hac solummodò perspectâ consilium foret, remedium *certissimum* esse affirmetur ; uno autem eodemque tempore, multi, cui data erat Digitalis, morte perempti ceciderunt ; ad plerosque tamen omnes sanandos, optima consilia Medendi nil prius evaluisse, confitendum est ; inspectisque quorundam Cadaveribus, signa tam morbosa apparuerunt, ut *hos* ad sanitatem restituere, non *artis* fuisse omnes persuaderent.

Debilitas quidè summa, et emaciatio maxima, in *his* prava thoracis conformatio, et in *illis* suspecta viscerum obstructio, an medicinam admitterent, primò etiam dubitationem iniecerunt.

Beneficio Digitalis *vetula ista* mortis procul dubio periculum evasit, quando autem, ei per-

missum

missum erat ut domum reverteretur, ut denuò recurreret morbus, non parvam sustinuit expectationem ; annis enim confecta erat, inveteraverat diù morbus, et læsionis organicæ inciderat suspicio ; ad timorem incutiendum hæc omnia simul conjurabant *.

Egregiè hic medicinæ vires diureticiæ inituerunt unâ incidente magna et continuâ sanguinis circuitus tarditate ; nausea, vomitus, et debilitas summa, nec non systematis torpiditas simul aderant, et *sublatâ causâ* per dies plurimos hæc *omnia durabant*. Medicamentum dosi *largâ* quidè'm administratum primò erat, symptomata enim *tàm* formidolosa urgebant, ut *quàm primum* alleventur, neceffè erat, et rectè omnia profecisse, *felix probavit exitus* ; nisi autem vitæ modum in mirum tenax, vetula ista fuisset, ad vires medicinæ *medicatrices* sustinendas impar succubisset, neque stimulantia, neque diæta lauta aliquid evaluisset ; ex parte vero omni, exempli

* Prælectiones Clin.

empli hujusce contemplatio, *delectat* pariterque *monet*.

In Remediis aliis Digitale conferendis, ad ea quæ sagacitèr observavit FERRIARUS, necessariò revertendum est; medicinæ huic plurimùm præstare *Tartarum purificatum* conspectus comparativus viri cl. manifesto probat, antihydro-picisque aliis adhibitis, e summâ experimento-rum, *omnia alia* Digitale efficaciora fuisse censet.

Diureticis aliis plurimùm pollere Digitalem, GREGORIUS Professor noster spectatissimus minimè experiendo didicit: *Scillam enim calomelane* conjunctam ad absorptionem et diuresin promovendam, aptiorem esse arbitratur; *Tartaram* etiam anteferre non dubitavit, et *hujus* vires testandi diureticas, anni proximi æstate mihi quidem pulchra sese obtulit occasio; præsentè primò cathar-si, non erat neque hoc neque scillâ uti, *ideoque*, meliori nullâ de eâ opinione concepta, Digita-lem exhibuit*. Cum autem neque hoc, neque ulla alia profecerant remedia, et uno die urinæ
redditis

* Prælectiones Clinicæ, 1801.

redditis unciis tantum tribus, nullâ adhibitâ rationatione Tartarum purificatum præcepit, et deinde ad lb. vi. fluxus urinæ succrevit †.

Plus æquo igitur, medicinam hancce jactatam fuisse procertò habendum confiteor. Verum enimverò Digitalem diureticam esse, haud parvisanè æstimandum, nemo inficias eat, quòd si, remedia alia simpliciora, cum Digitale comparationem modò sustinere possint, ut locum superiorem sibi vindicent, necessè est. Violentius autem grassante morbo, ad Digitalem procul dubio confugiendum est, viribus enim *certè promptioribus* et magis *repentinis* pollet.

CAP. VIII.

Quantùm ad phthisin debellandam valeat Digitalis statuere non possumus—hi morbum si minús sanâsse, tamen retardâsse constanter asseruerunt;
alterutrò

† Prælectiones Clinicæ.

alterutrò autem è contrà minimè sufficisse, illi palàm professi sunt.

Si quidèm nomén nostrum inter nomina priora conscribere, experientia nostra *exigua* concesserit, nobis fòret sanè gratissimum acceptatissimumque.

Ter vero in phthisi Digitalem administratam vidimus, *ter* morbo succubuerunt ægri. In his vero omnibus morbum *ακμην* attigisse, in animo tenendum; adolescentulo, FRAZIER † nuncupato, infusionem et tincturam administravit HOPEIUS: ad actionem verò vascularem minuendam, nè minimum contulerunt, et rapidè diem obiit supremum.

Cadavere inspecto, serosa effusione morbum conjungi manifestè aparuit; in thorace nec nòn in pericardio magna erat aquæ accumulatio.— Pulmo uterque morbo gravissimè affectus erat, vesiculisque aeriis in plerumque deletis, per totum abscessus, etiam perhorridi, penetraverunt.

Quod ad cætera attinet exempla quibus admi-

F

nistrata

† Narrat. Clinicæ, 1800-1.

nistrata erat Digitalis, hæc quidem herbis minimè medicabilia erant.

Mulieres ambæ ; morbus sub imperium usque etiam ad ultimum vitæ gradum ambas redigerat.

In utrâque phthisin originem ex tuberculis duxisse creditum erat.

Jamdudùm existebant pulmonum ulcera, nec deerant, aut febris hæctica, propriâ quidem formâ, nec adhuc expectoratio purulenta : nulla certè medicamina tot incommodis reperiri potuere.

Harum altera, morte rapidè corripiebatur. Digitale usus est HOMEIUS formâ et pulveris et tincturæ, nec ulli successerunt effectus, quoad saltèm, sensibus perciperetur.

Postquàm remedium per mensem, altera sumptulat, nausea, vomitusque, et magna circulationis depressio, simul existentes, sudores copiosiores ; corpusque magis atque magis tabescens, spem prorsus omnino frustravere, et a medico datum est negotium, ut alia substituerentur remedia.

Post paucos autem dies, hæmoptysi superveniente, sanguinisque detractio omninò illicitâ, *ite-*

rùm

rùm præcepit medicus ut assumeretur Digitalis, utque paulatim augeretur dos. Medicamento verùm parùm valente, tandem miseranda diem obiit supremum.

Phthisi etiam recentiori, tempore, quo ægrorum valetudinibus consulebat GREGORIUS, Digitalem porrectam etiam vidimus; hinc quoque nausea et vomitus sine ullo morbi signorum levamine urserunt, et efflagitanti fœminæ data domum exeundi copia est †.

In plerumque bono exitu, Digitale adhibitâ caruit GREGORIUS. In eodem anno, *ad quadraginta et sex ægrorum*, se remedium in phthisi usum fuisse, nos certiores fecit, et quamvis plurimorum corporis proprietates ad plantæ vires propitiæ videbantur, omnes tamen fatis succubuerunt, *pedetentim æque*, ac si medicamentum non præceperat.

Invitis deinde laudibus medicorum, Digitalem versus, morbum adhuc insuperabilem restare confiteamur.

Hic loci commemorare liceat, in morbo *Glandulari Barbadosi* patre meo, de meliore notâ, fuisse commendatam *.

Hoc medicamentum enim lymphæ effusæ, quæ in hoc morbo occurrit, absorptionem promovendi viribus egregiè pollere, experiendo didicerat.

Hic fortassis, *potestates* ejus *sedantes* absorbentibus conjunctas admodum utiles se præbeant; nimirum, quæ irritabilitatem nimiam facultate demulcendi gaudent.

QUAMVIS curatio omnis, accommodari debet *peculiari* uniuscujusque ægri *corporis constitutioni*, tamén de tali re, precepta vera hîc dare omninò non possumus, et FERRIARUS admonet, secum

* Hendy—"Treatise on the Glandular Disease of Barbados.

fecum Digitale nil profuisse, plurimis ægrotis, eâque *corporis conditione*, quam ad remedium esse aptatissimam WITHERINGIUS depinxit.

Generalis forsan, systematis irritabilitas in plerumque ad diureticorum effectus fit opportuna, iterumque, *hydrothoracem*, scil : qui rariùs sibimet ipsi comitem adjungit viscerum obstructio, Hydropis speciem memorare liceat, in quâ de Digitalis usu, optima speranda sint.

Quod ad phthisin pulmonalem attinet, certè, expectoratio purulenta, emaciatioque hæctica, diuque morbus inveterascens labequæ hæreditariâ profluans, spem inchoare altam magnoperè vetant, et vix fieri potest, ut ullis remediis, etiam validissimis, aut tollantur aut sublevantur, hæc morbi signa molestissima.

Symptomatibus autem, non admodum excelsè volitantibus, Digitale forsan, si non submoveatur, attamen sublevetur morbus, mitiorque evadat.

Digitalem quidem posse arteriarum pulsus cohibere, nec non inflammationem sedare, videtur ; sed, ut etiam ei traderetur potestas, ulcerationem

conglutinandi verisimile esse, nobis, inquam, minimè videtur.

In phthisi igitur recentiore, pulsu valido, auctâ pyrexîâ, et valentiore constitutione corporeâ, ad morbum etiam depellendum, valeat.

QUÆ sit dosi medicamenti, exponere non possumus. Insignem varios inter homines hâc de re differentiam esse, benè cognitum est.

In *hoc*, quantitate etiam levissimâ moveatur maxima ventriculi affectio; *in illo* iterum, dosi justò validiori vim moderatè sedativam tantum præbeat, minimè turbatis aut capite aut stomacho:—et, *in tertio*, dosi quamquàm mitissima, nauseam horrendam, vomitumque vehementem efficiat, ita ut amplius vix quidem potest adhiberi.

In administrando igitur remedio, cautela summa certò necessaria est, quoniamque nihil magis aut certiùs noceat, sub ejus usu, circumspectio-

nem

nem maximam sibi vindicat; etenim pulsus dum debiliores et tardiores reddit, viresque attenuat, attamen, *non semper*, sine capitis periculo hæc promovere liceat.

INTER varias hujusce medicinæ præparationes, usi sunt medici præcipuè pulvere foliorum exsiccatorum, nec non, foliis ipsis recentibus. Decocta et infusa, alii aliis antetulerunt; hi, tincturam pluris æstimant, *illi* pulverem, per se, subque pilulari formâ. Nuperrimè proposita sunt semina, deque viribus eorum efficacioribus strenuè disputatum est*; nequaquam autem, ad spem respondere, quam excitant scriptores, periculo compertus est HOMEIUS. Ad *urinam movendam* sæpius *pulverem* præcipiunt medici, et secretionem Renalem solito copiosiore excitare, certa probavit experientia.

Decoctum magis quàm alia preparata virulentum esse existimatum est; viribus multum variat,

* Medical and Physical Journal.

riat, prout aut sedulò aut negligenter preparatur. Huic certius esse videtur *infusum*.

Viribus narcoticis pollere et ad actionem vascularem nimis auctam sedandam, maximè *tincturam valere* †, voce unâ consensere omnes, et quod maximi est momenti, potestates etiam sub longinquitate temporis, retinet. Pulveri verò aliter evenit.

CAP. IX.

DE modo ejus operandi, parùm est quod dici potest. Actionem ejus duplicem, simul esse explicatu

† Hæc habet verba DRAKEIUS.

There is certainly a material difference between the mode of operation of the powder and the tincture ; for while the one usually increases and changes in point of colour, the evacuation of urine, the tincture, in my practice, has never done this but in one instance.

“ Med. Phil. Journ.” Vol. 2. p. 246.

plicatu difficilem, et maximè utilem se præbere, jampridem memoravimus.

Inter medicamenta *diuretica* procul dubio locum jure obtineat, *directè autem sedativum* esse, manifesto liquet; *in circuitu sanguinis retardando*, vis ejus generalior esse posita, videtur.

Plantæ hujusce vires diureticas experimentorum multitudine comprobatas fuisse observat CULLENUS, quali autem, operationis genere pendeant, se nescire confitetur, inquitque insuper, in systema universum, medicinam agere; quia ventriculum et intestina, dosis quidè parvula, tam gravitè afficit, et præcipuè quia pulsum tardandi potestate, tam insigniter est prædita *.

Minuendo exhalationem nobis ut videtur *absorptionem promovet*, atque ita fortassè in Hydrope, potius quàm *directè in renes* operetur; an- nè autem suggerere liceat? ut *anodynis* medicamenti *viribus*, canales urinarii *constricti*, apertiores fiant, atque ita amoveatur obstructio, et sic *Diureseos causa*, patet.

G

Effectus

* Materia Medica, Vol. II.

Effectus suos in Phthisi Pulmonali, a viribus narcoticis edat, unde præeunte nullâ excitatione, actionem tardat, sanguinisque pro voluntate, sedat impetum ; præ aliis sedativis, exhibitione ejus sæpius reiteratâ, facultate vires retinendi, superbit Digitalis.

Utrùm, per ventriculi medium actionem cordis arteriarumque cohibet, non is sum qui discernam ; inter organa hæc, consensum mirum obtinere inter omnes constat. Verum enimverò, per pulmones impetu minus citato sanguinem propelli, pro certò habendum est, et hinc fortasse inflammatio si adsit auferatur, morbusque saltem in tempus tollatur. Potissimùm in *Genere nervoso*, imperium exercet, mobilitatem ejus perdit, et functiones vitales debilitat.

Quamvis igitur, in morbis a debilitate originem ducentibus incertus sit medicamenti usus, in Systemate tamen, magnâ irritabilitate, tono adaucto, simul existentibus, fore profuturam pollicetur, atque eâ de causâ, ut in *mania* exhibeatur, edocemur, quamvis autem ut hîc utilem se præberet

præberet *rationatio* fuggerit, in *praxi* tamen, minime remedium profecisse animadvertit FERRIAR *.

Maniacos tres se Digitale sanasse MACLEANIUS memoriae prodidit. Horum Historias brevi exponere tunc temporis fidem dedit †. Promissa autem vir cl. adhuc non implevit.

Observationibus nostris jamdudum æquo longius, productis, finem imposituri, confiteamur, licet *Artis Hippocraticæ alumnos*, qui ad hanc rem investigandam se contulere, famæ propriæ *haud parum* consuluisse, laudesque emereri summas, non tamen apud nos ita bene Digitalis accedit, ut una cum viro cel. GULIELMO BEDDOES vaticinari possimus, *exultandi et se felices prædicandi, medicinam hanc repertam occasionem Britannis,*

* Essay on Digitalis.

† Medical and Physical Journal.

*tannis, fore oblaturam**: nec fieri potest; etenim
fatis superque, Digitalem omninò vires sedativas
edere, clare demonstravimus.

* Essay on Pulmonary Consumption.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag.	5.	lin.	11.	pro	Cartharticam lege	Catharticam.
—	7.	—	19.	—	unci	— unici.
—	12.	—	11.	—	miruum	— mirum.
—	16.	—	1.	—	sanguinis	— sanguinis.
—	—	—	8.	—	Pulsum	— Pulsum.
—	19.	—	9.	—	accedisse	— accidisse.
—	23.	—	18.	—	quadammodo	— quodammodo.